



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Regimine Ecclesiae Episcopalis In Octo Libros Distributus

Antonelli, Giovanni Carlo

Velitris, 1650

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11401

Bald. in l. 2. num. 9. C. de sacros. eccl. quod nuncijs Curie secularis potest citare laicum existentem in ecclesia: sed contrarium est verius ex cap. decet de Immun. eccl. in 6. ibi, omnis in eis secularium iudiciorum strepitus conquiescat; unde etiam citatio prohibetur, a qua iudicium incipit §. fin. Instit. de Pœn. tem. litig. & est fundamentum ordinis iudiciarij, ut dicit Marant. de ord. Iudic. par. 6. tit. de citat. num. 1. quare ordinarij iure merito prohibere possunt, ne absque eorum licentia in locis immunibus citationum executio fiat iuxta d. cap. decet §. ordinarij, & tunc non solet eiusmodi licentia concedi, nisi pro reliquis locis immunibus extra ecclesie corpus existentibus, ut observat Sperell. dec. 51. num. 26. in fin.

S V M M A R I V M.

- 1 Degradatio duplex est, alia verbalis, alia realis.
- 2 Quae solemnitas requiratur in degradatione verbali, quando fit ad effectum, ut sequatur degradatio actualis.
- 3 Degradatio Clerici minoribus ordinibus, vel tonsura insigniti non est in usu.
- 4 Quid importet degradatio, quae non fit ad effectum, ut sequatur actualis.
- 5 Degradatio actualis est executio degradationis verbalis.
- 6 An degradatio actualis possit ab Episcopo non consecrato exerceri, & quid de verbali.
- 7 Iudex secularis in causa heresis, vel alterius mere ecclesiastici criminis cognoscere non potest.
- 8 Quid in alijs causis mixti fori.
- 9 Et quid si Episcopus ipse vult exequi suam sententiam, & simpliciter implorat familiam.
- 10 Saecularis magistratus sub poena excommunicationis cogitur ad praestandum auxilium ecclesiastico Iudici.
- 11 Quid si constaret de iniustitia sententiae Iudicis ecclesiastici.
- 12 In quibus casibus ad degradationem devenitur.
- 13 In quo differat anathema ab excommunicatione.
- 14 An Episcopus possit dispensare cum degradato solemniter.
- 15 Qua poena puniatur offendens Vicarium Episcopi.
- 16 An Clerici, qui ad triremes damnantur, sint degradandi.
- 17 Sacerdotes ad triremes transmitti non debent, nisi pro maxima causa.
- 18 Si Clerici sint nobiles, poena corporalis commutari potest in pecuniariam.
- 19 In Regno Francia poena trirerum contra clericos non imponitur.
- 20 Laicus nobilis an possit ad triremes, vel alias poenas ignominiosas damnari.
- 21 Qua poena puniantur nobiles pro simplici homicidio.

